



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Synodus Osnabrugensis, quam celebravit Episcopus Franciscvs, Comes Waldeccensis, feriâ tertîâ post Dominicam Oculi, anno MDXXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

F 24 v. A. 120. 27. 9. 72

D E C R E T A  
S Y N O D I D I O E C E S A N Æ  
O S N A B R V G E N S I S;

habitæ Anno M D X X X I I I,

Feria tertia post Dominicam Oculi,

S V B

Illusterrimo & Reverendissimo Principe ac Domino

D. F R A N C I S C O,

O S N A B R V G E N S I E T M O N A S T E R I E N S I

E P I S C O P O,

nec non Mindensis Ecclesiæ

A D M I N I S T R A T O R E.



RANCISCVS , Dei & Apostolice Sedis gratia Monasteriensis & Osnaburgensis Episcopus ac Mindensis Ecclesiastarum Administrator ; universis & singulis Dominis , Abbatibus , Prioribus , Prepositis , Decanis & Archidiaconis , Capitulis & Conventibus Cathedralis ac Collegiarum , Regularium & secularium Parochialiumque Ecclesiarum & divinorum rectoribus , nec non toti Clero ac Clericis , & Notariis publicis & personis Ecclesiasticis , quibuscumque nominibus censeantur , aut quacunq; præfulgeant dignitate , Civitatis & Dioecesis nostrarum Osnaburg. ubilibet constitutis , Salutem in Domino .

Pro cultura agri divini ad extirpandum vitia , plantandum virtutes , corrigitendum excessus , & reformatum mores Cleri prædicti , recolenda memoria dicta Osnaburgensis Ecclesiae Episcopi , Nostris Prædecessores , nonnulla saluberrima Constitutiones & Statuta Synodalia in diversis retroactis Synodis Episcopalibus publicari , eaque sub certis censuris & peenis firmiter teneri & observari præcepimus & mandarunt . Nos igitur , qui regimen & gubernationem ejusdem Osnaburgensis Ecclesiae pro nunc gerimus , eorumdem Nostrorum Prædecessorum vestigis inhærente volentes , Constitutiones & Statuta hujusmodi , sub modo & forma infra scriptis , duximus innovanda , & innovamus , atque sub peenis & censuris infra scriptis , firmiter observari præcipimus & mandamus per præsentes .

I. In primis , ut omnes & singuli Prælati dictarum Civitatis & Dioecesis Osnaburg. de jure vel consuetudine Iurisdictionem in suos subditos habentes , infra unius mensis spaciū , postquam eis & eorum cuilibet innotuerit , criminis & excessus corrigitos suorum corrigant subditorum ; alioquin Nos , lapsi dicto mense , ad illorum correctionem procedemus , prout de Iure fuerit procedendum .

II. Item , ut omnes & singuli Clerici & personæ Ecclesiasticae dictarum Civitatis & Dioecesis , cuiuscumque status vel præminentia fuerint , in eorum domibus familiam honestam habeant , nec concubinas publicas , vel alias personæ suspectas , sibi cohabitare permittant ; quin imo tales , infra unum mensem proxime sequentem , à se expellant adeo remote , quod vulgus inde nihil finistrī valeat suspicari ; easdem nullatenus realsumpturi .

III. Item , ut nullus eorum tabernas publicas , nisi in itinere constitutus , visiter aut frequenter ; ac habitum & Tonitram Clericales debitos & decentes deferant ; seque , prout eorum beneficia exigunt & requirunt , infra terminum juris , statutis ad hoc temporibus , ad facros Ordines faciant promoveri , & in

suis beneficiis residentiam faciant personalem .

IV. Item , ut quarumcunque Ecclesiarum & aliorum piorum locorum Structuarii & Provisores pro tempore Ecclesias , Capellas , Oratoria , Altaria , Cœmeteria , Campanas , Fenestras sacramentales , & alia vasa quæcumque , ad Ecclesiastica Sacra menta defervientia , violatas vel violata reconciliari , ac non consecrata & non consecrata , infra dicti mensis spaciū , consecrari debite faciant & procurent .

V. Item , ut quicunque pro tempore quorūcumque Clericorum vel beneficiariorum dictarum Civitatis & Dioecesis Osnaburg. defunctorum manufideles & testamentorum executores , infra unius mensis spaciū , obitum Testatoris immediate sequens , Nobis vel Officiali Nostro de bonis inventis & de dispositione , & infra unum annum , à tempore obitus hujusmodi immediate sequentem , de executione eorundem certificant & informent legitimis documentis , prout haec tenus solitum fuit & consuetum .

VI. Item , & Ecclesiarum quarumcunque Campanarii , temporibus Divinorum , condigna religione , sicut decet , sint induiti , ac nocturno tempore in Ecclesiis dormire non obmittant ; sintque etiam ipsi Campanarii , ubi saltem Ecclesiarum facultates ad hoc suppetunt , competenti literatura imbuti & decorati .

VII. Item , ut nullus Clericorum vel Notariorum , vel Executoriorum citationes vel alia quæcumque processus seu mandata quorumcunque judicium delegatorum vel subdelegatorum seu aliorum alias quam ordinariorum exequi præsumat , nisi talium Iudicium potestas tive Iurisdictio eisdem citationibus , processibus , literis vel mandatis de verbo ad verbum sit inserta .

VIII. Item , ut nullus , cuiuscumque status , gradus vel conditionis existat , ex nunc inantea , causam vel causas quascumque contra quoescumque incolas Civitatis & Dioecesis præfatarum , extra eisdem Civitatem & Dioecesim coram quoescumque delegato vel subdelegato , Conservatore , Commissario , five judge , movere , prosequi , seu aliquem ex prædictis incolis evocare seu evocari facere præsumat vel attenter quoquo modo , quamdiu iidem incolæ infra Civitatem Osnaburgensem antedictam coram eorum veris locorum Ordinariis seu Archidiaconis , de se querulantibus stare juri se paratos afferunt ; quinimo ipsi hujusmodi suas causas primo & ante omnia coram eisdem Archidiaconis & locorum Ordinariis prosequi debeant atque teneantur , donec & quousque per Appellationem legitimam à Sententia seu Notario aliquo gravamine causa seu cause hujusmodi ad superiorem legitime fuerint devolutæ .

IX. Item , ne Quæstuarii vel Terminarii sine literis licenciatoriis , integris & illæsis , in robore & vigore existentibus , ac pro Anno inno-

innovatis , ac de novo à Nobis aut Officiali Nostro ac Decano & Capitulo Ecclesie Osnaburgensis, prout solitum est , obtentis aq illæsis, viñis, lectis, ostensis & diligenter examinatis , per quocunque admittantur : quodque quarumcunque Ecclesiarum Rectores sive Mercenarii pro hujusmodi à Nobis & dicto nostro Officiali literarum obtentarum ac adventus intimatione , à quolibet quæstuario ultra quartam unam vini seu illius valorem non exigant seu extorqueant : & , quod nullus falso nomine in dictis Civitate & Dicecesi quæstum faciat , seu talis admittatur absque literis confimilibus , ut præfertur , à Nobis & Officiali Nostro ac Decano & Capitulo obtentis.

X. Et insuper , ne Structuarii Ecclesiarum, sine licentia & expresso consensu suorum Plebanorum , quoquo modo fabricent : & quod semel in quolibet anno de bonis Ecclesiarum perceptis & expositis, singulis ipsarum Ecclesiarum Plebanis computum faciant atque rationem.

XI. Item statuimus & præcipimus , ut Sacerdotes & Presbyteri frequenter prohibeant omnibus subditis suis sub poena excommunicationis , ne fidem mutuo dent clandestine & in occulto super matrimonio contrahendo, vel clam matrimonium contrahant , sed publice, tria proclamatione præcedente, coram Presbytero & coram pluribus hoc faciant ; & , si aliter fidem dederint de contrahendo vel contraxerint, ipsos excommunicamus ; qui sic excommunicati publice denuncientur, & teneantur, donec abolitionis beneficium meruerint obtipere.

XII. Item volumus & mandamus, ut nullus Abbas, Abbatissa, Priorissa, Monachus seu Monacha, habitu religionis abjecto, in Ecclesiis, vicis vel plateis, aut alicubi, nisi in religione debita & decenti, sicuti in eorum Monasteriis , procedant , ac secundum regulam ferant peplum & velum, ubi cunq; fuerint constituti ; alioquin ad divina nullatenus admittantur.

XIII. Item, ne quis, saltem pacis tempore , in Cœmiteriis focum teneat seu in illis commorari præsumat seu commorari permittatur : quodque Ecclesia & illarum Cœmiteriorum , nec non baptisteria & alia sacra vasa & receptacula , ne forte quovis casu eadem violari seu alias contaminari contingat , diligenter præmunita, purgata, munda & ferata conserventur ; immunitesque Ecclesiarum & Cœmiteriorum inviolatas & incontaminatas præcipimus ab omnibus observari.

XIV. Item, ut omnes & singuli, qui tempore de annis Structuraræ, ratione beneficiorum que obtinent & adepti sunt , satisfacere tenentur , infra mensum antedictum Collectoribus , ad hoc deputatis , cum effectu respondeant atque satisfaciant.

XV. Insuper , ut universi & singuli Ecclesiarum Rectores seu eorum Locatenentes ac

Capellani, nec non Clerici & Notarii, per dictas Civitatem & Dicecesin ubilibet constituti , in mandatorum executionibus modum & formam executionum suarum fideliter & authentice conscribant & observent ; Mandata quoque eadem de ambone vel aliâ publicè denuncient, nec occulte vel clandestine, quinimo publice & patenter , mandata exequenda exequi & publicare studeant ; Decretum etiam , in mandatis ipsis positum , in præjudicium atque partium detrimentum abbreviare vel prorogare non præsumant ; quodque etiam, factis mandatorum executionibus, saltem excommunicatos mox ad eorum registra inscribant , ac excommunicatorum registra hujusmodi , singulis annis , suis Archidiaconis, salvo eorum , pro labore , salario competenti, præsentare non recusent ; quodque etiam ipsis mandata quæcunque , quæ pro tempore executi fuerint , absque omni denegatione & difficultate partibus sive nunciis restituant , nec publice excommunicatos ad diuinam vel communionem quovis modo admittant.

XVI. Item, ut nullus Presbyterorum, cupiditate vel alia sinistra causa ductus , quinimo causa rationabilis subsistente, una die duas Missas , præterquam in die sancto Natalis Domini & aliâ in casibus à Iure permisis , celebrare præsumat ; quodque etiam nullus de cætero Presbyterorum in dictis Civitate & Dicecesi Osnaburg. in altari portatili , nisi quantum Ius permittit, celebrare præsumat, absque desuper Sede Apostolica seu Nobis vel Officiali prædicto pro tempore obtenta & impetrata licentia speciali.

XVII. Item , ut nulli alienæ Dicecesis Presbyteri in Capellanos vel Mercenarios assumantur , nisi tales de eorum formatis atque personarum legalitate coram Nobis seu Officiali prædicto fidem fecerint oculatam ; nec aliqui, loco sui , Mercenarios sive Locatenentes in suis beneficiis ponant vel substituant, nisi tales eorum Archidiaconis rite præsentaverint, curam ab eis animarum recepturis.

XVIII. Insuper , ut excommunicatis , in articulo mortis , post idoneam & sufficientem receptam atque datam cautionem solum & duntaxat, viaticum ministretur , juxta modum & consuetudinem vicinarum Ecclesiarum , & maxime Ecclesie Metropolitanæ ; quodque talibus etiam , si deceperint , Ecclesiastica denegetur sepultura , donec & quousque de satisfactione partis , & Iudicis absoluzione , per aliqua legitima constiterit documenta.

XIX. Item, ut nullus Notariorum, de cuius idoneitate ac sufficientia & experientia in officio possit merito suspicari , sine speciali dicti Domini Officialis approbatione , officium Notariatus exercere seu Instrumenta scribere & confidere præsumat ; ne forte propterea pericula verisimiliter valeant suboriri.

X X. Et insuper , ut Rectores & Provisor

Q

res

res Ecclesiarum ad vasa chrismalia , ut sint munda, integra & diligenter clausa, respectum singularem & debitum studium habeant ; ac dato & recepto, tempore & loco solitis, Oleo sacro hujusmodi, talia vasa cum debita reverentia atq; pudicitia deferri faciant & procient. In quo quidem Oleo sancto deferendo unaquaque parochialis Ecclesia suum proprium habeat & propterea emittat Campanarium , seu fidelem & legalem nuncium seu cursum; pauperibus Ecclesiis duntaxat in hoc exceptis.

X XI. Ceterum , fraudibus nonnullorum obviare ac communi singulorum Civitatis & Dioecesis Osnaburgensis tam spiritualium quam secularium incolarum utilitati providere cupientes ; ordinamus & statuimus per presentes , ut ex nunc inantea , perpetuis futuris temporibus, omnes & singuli in dictis Civitate & Dioecesi Osnaburg. tam beneficiati quam non beneficiati Clerici & personæ Ecclesiasticæ , qui pro tempore fuerint in eorum constitutionibus manufidelium & Testamentariorum ac ultimarum voluntatum Executorum & inter illos unum vel plures de personis Ecclesiasticis in eisdem Civitate & Dioecesi beneficiatos in eorum Testamentarios ac ultimarum voluntatum executores & manufides , non cum minori sed simili per omnia & æquali aliis suis manufidelibus Testamentariis & Executoribus attributa potestate , sub omnium bonorum suorum post eorum & cuiuslibet eorum obitum relictorum, confiscationis pena , deputent & constituant , ac tales , post eorum & cuiuslibet eorum obitum , habeant & derelinquant. Inhibemus etiam sub paenitentiis ac infra scriptis , ne quis in praefatis constitutionibus suorum manufidelium focrias seu personas suspectas constituat ; & , si constitutæ forent, illis omnino disponendi interdicimus facultatem.

X XII. Volumus etiam & mandamus , ut Stationarius sancti Petri , secundum suæ præsentationis tenorem , benebole recipiat & favorabiliter pertrauetur ; dies vero Stationis suæ populo fideliter intimetur , & per utriusque sexus homines , in quorum Parochia pro tempore existit , donec Officium suum compleverit , celebris & festiva habeatur.

X III. Insuper vero per presentes citamus omnes & singulos Dominos , Prælatos , Clericos & personas Ecclesiasticas supradictas , sacrosanctam Synodum hujusmodi celebrantes , & ipsi interesse debentes , tam presentes quam absentes , quatenus feria tertia post Dominicam Oculi , vel feria tertia post festum sancti Remigii proxime sequente , pro sacrosancta Synodo hujusmodi , tunc , ut moris est , iterato celebranda , loco & hora presentibus compareant , Nobisque & Commissario sive Commissariis nostris , per Nos ad hoc deputandis , in hujusmodi celebratione ex tunç prout ex nunc debito modo assistentes : inhibi-

bentes præterea , sub infra scriptis excommunicationis & pecuniarum paenitentiarum universis & singulis Dominis Parochialium Ecclesiarum , Capellarum & Altarium , divinorum Rectori bus , Plebanis , Viceplebanis , Capellanis , Curatis & non Curatis , Vicarii perpetuis , Altaristis , ceterisque Presbyteris , Clericis , Notariis & Tabellionibus publicis quibuscumque , per Civitatem & Diocesim Osnaburgensem ubilibet constitutis , ne de cætero aliqua tam Conservatorum quam Subconservatorum seu aliorum quorumcunque Iudicum , quacunque auctoritate fungentium , præterquam Sedi Apostolica immediate & Nostræ Officialis ac dominorum Archidiaconorum Ecclesiæ mandata citationum seu alias quascunque literas exequantur , seu ad eorum executionem procedant , nisi talia per Nos aut dictum Officiali Nostrum rite sint admissa ac approbata , & desuper nostras aut dicti Nostræ Officialis litteras receperint patentes.

Præmissa omnia & singula , Constitutiones & Statuta , autoritate hujus sanctæ Synodi cum omnibus & singulis suis clausulis per quemque in virtute sanctæ obedientiae & sub suspensionis & excommunicationis , trium dierum Canonica monitione præmissa , præsentibus ferimus in rebelles , nec non quinquaginta florenorum Renensium , in pios usus applicandorum , paenitentiam , præcipimus & mandamus firmiter & inviolabiliter observari. Protestamur tamen , quod , si quid forsan dubii vel difficultatis emergerit in præmissis , hoc Nobis in his scriptis per expreßum reservamus declarandum , corrigendum , interpretandum , mutandum , augmentandum ; omnem etiam in præmissis omnibus & singulis per Edictum etiam publicum in valvis Ecclesiæ Osnaburgensis seu alias , prout visum fuerit , ulteriore execu tionem processuum continuationem ac pecuniarum & Sententiarum prædictarum quolibet negligentes & contra Rebelles declarationem & relaxationem & absolutionem faciendam , dicto Nostro Officiali plenarie committentes. Abentes vero , qui ad hanc Synodum , absque petita & obtenta licentia , non venerint , seu absque religione hunc locum Capitularem intraverint , præsentibus judicamus contumaces , desuper processuri , prout de jure fuerit procedendum.

In quorum omnium & singulorum fidem , & testimonium præmissorum , præsentes literas Synodales , hujusmodi supra scripta Constitutiones & Statuta in se continent , Sigilli Officialatus dictæ Curie Osnaburgensis iussimus & fecimus appensione roborari. Datum Osnaburgis apud Ecclesiam Osnaburgensem , anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo tricesimo tertio , Feria tertia post Dominicam Oculi .

*Subscriptum per me IASPARVM MISSINCKI  
sacris Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarium.*